MOSES EVANGELICUS ELOGIUM ADM. R.P. E SACRA PRÆD. FAMILIA THOMÆ...

Marco De Rossi

MOSES EVANGELICVS
ELOGIVM
ADM. R. P. E SACRA PRÆD. FAMILIA

THOMÆ BOSSIO
IN ECCL. D. PETRI MAJORIS
Concionatori Eximio,

EXARATVM

A MARCO DE RVBEIS S. T. D.
Et in eadem Ecclesia Litt. Hum. Professore.

SVB AVSPICIIS ILLVSTRISS. D.
ALOYSII DE PAZZIS.

FLORENTIÆ,
Ex Typographia Serenis. Magni Ducis Ætruriæ 1692.
Superiorum permissu.

MOSEM

DEI Digitum, Pharaonis Deum,
Hebræorum Spem, & Hebraicæ Libertatis Vindicem;
Lingua, nescias, an Manu facundiorem,
Vnum tantùm Hebræi Christianis ostentant:
Contrà
Hebræis objectat innumeros Evangelium,
Sacros omnes Oratores
Dei Linguas, Divini Verbi Præcones,
Pharaonis Tartarei juratos hostes, & triumphatores
Quidni dixerim Evangelicos MOSES?
Verbo præeunt hi Sacri Duces, & exemplo Populis,
Quos
E' Culpæ Seruitute
In Libertatem educunt, & Gloriam Filiorum Dei.
An non igitur MOSES Euangelicus

THOMAS BOSSIVS ,
DIVI DOMINICI
Prædicatorum Institutoris , & Patriarchæ Sanctissimi
THOMAS est Gloria ,
Quia tanti Patris est Filius sapiens .
In Rubo ,
Qui vel in igne non aruit ,
Deum MOSES adorat :
In Rosario ,
THOMAS Deum contemplatur , & Dei Matrem ,
Cujus laudabilis conservata Virginitas
In incombusto Rubo MOSIS adumbratur .
Bibliorum Scriptor Historicus MOSES:
Bibliorum Interpres nequaquã superstitiosus THOMAS
Linguam Hebraicam probè sonat ut Hebræus :
Linguæ Mysteria rimatur Hebræo quouis ingeniosior .
Duræ Ceruicis Hebræi sint ,

Cor-

Cordis peccatores Christiani.
Utramq; duritiem molliendo est
THOMÆ BOSSII Lingua flexanima:
Hæc, vt Virga MOSIS, fœcunda monstrorum Parens
Humanis his è lapidibus
Pœnitentes non minus aquas elicit,
Quam Rubrum Sanguinis Diuini Mare mirè pandit;
Hebræis Christianisq, æquè contritis obvium:
Pharaoni Tartareo
Populum utrumq; persequenti impervium.
Christi Sanguineis in undis Populus uterq; naufragus
Æternæ Salutis ad Portum enatat incolumis,
Cœlum, inquam, Beatam Promissionis Terram.
MOSIS faciem, prodigiosæ coronant Faces.
Tibi, THOMA BOSSI,
Pietatis, & Doctrinæ Sydus, & Lucens, & Ardens
Divi Dominici Face ardet Os eloquens.
Tibi

Tibi Pectus lucet D. THOMÆ Aquinatis Sole Sapiens,
Cum D. DOMINICO, THOMA,
In Vitia ardenter latras, & piè cor incendis:
Cum D. THOMA Aquinate, BOSSI, Doctè tonas,
Et mentem sapienter illuminas.

TE

Non Eloquentiæ, Doctrinæ, Memorieq;
Flumen appellem,

MARE ES

Id Re veriùs evincis quam Nomine.
Quid enim præter Abyssum sonat THOMAS;
Immensam scilicèt Aquarum vim.
Hebræos è mari Rubro MOSES eduxit:
Genus humanum
Ultricibus Diluvii universalis undis
NOE' vindicavit.
Felix Hebræus, felix itidem Christianus,

Si

Si tuis aquis eloquentibus obruatur.
Fortunato in naufragio,
Gentis utriusque tuta salus.
Hebræi MOSE Duce
Pharaonem eludunt, & Famem.
Saturos fecit Aer dulci rore dapifer:
Ultrix Aqua Hostium Naufragio Victores,
Hebræorum palato sapit longè suavius
Suavissima THOMÆ BOSSII Eloquentia
Hanc Hebræi
Ultrò bibulis auribus frequentes hauriunt,
Ut Christiani,
Non ut Manna fastidiunt.
Beneficiorum memores utriq; Populi
Quod tanto Duci
Grati animi monumentum immortale Statuant?
COLUMNAM IGNEAM,
Quam

Quam,

In THOMA BOSSIO

Humanæ Salutis avidus Zelus

SCULPIT ÆTERNITATI.